

Quæ cum diceret se ab eo intactam esse, suo tempore peperit Chrysen iuniorem, & dixit se ab Apolline cõcepisse. Postea Chryses Thoanti eos cum reddere uellet, Chryses audiit senior, Agamemnonis Iphigeniam & Orestem filios esse, qui Chrysi filio suo quid ueri esset patefecit, eos fratres esse, & Chrysen Agamemnonis filium esse. Tum Chryses re cognita cum Oreste fratre Thoantẽ interfecit, & inde Mycenæ cum signo Dianæ in columnas peruenerunt.

CXXII. Aletes.

AD Alectram Agamemnonis & Clytemnestræ filiam sororẽ Orestis, nuntius falsus uenit, fratrem cum Pylade in Tauricis Dianæ esse immolatos. Id Aletes Aegisthi filius cum rescisset, ex Attidarum genere neminem superesse, regnum Mycenis optinere cœpit. At Electra de fratris nece Delphos sciscitatũ est profecta. Quò cum uenisset eodem die Iphigenia cum Oreste uenit eò, idem nũtius qui de Oreste dixerat, dixit Iphigeniam fratris interfectoricem esse. Electra ubi audiuit id, truncũ ardentem ex ara sustulit, uoluit q̃ in scia sorori Iphigeniæ oculos eruere, nisi Orestes interuenisset, cognitione itaq̃ facta, Mycenæ uenerunt, & Aleten Aegisthi filium Orestes interfecit, & Erigonã ex Clytemnestra & Aegistho natam uoluit interficere, sed Diana eam rapuit, & in terram Atticam sacerdotẽ fecit. Orestes autem Neoptolemo interfecto, Hennionem Menelai & Helenæ filiam adductam coniugem duxit, Pylades autem Alectram Agamemnonis & Clytemnestræ filiam duxit.

CXXIII. Neoptolemus.

NEOPTOLEMUS Achillis & Deidamiæ filius, ex Andromacha Eetionis filia, captiua procreauit Amphialum. Sed postquam audiuit Hermionẽ sponfam suam Oresti esse datam in coniugium, Lacedæmonem uenit, & à Menelao sponfam suam petit. Cui ille fidem suam infirmare noluit, Hermionen q̃ ab Oreste adduxit, & Neoptolemo dedit, Orestes iniuria accepta, Neoptolemum Delphis sacrificantẽ occidit, & Hermionẽ recuperauit, cuius ossa per fines Ambraciæ sparsa sunt, quæ est in Epiti regionibus.

CXXIIII. Reges Achiuorum.

PHORONEUS Inachi filius, Argus Iouis filius, Peranthus Argi filius. Triops Peranthi filius, Pelasgus Agenoris filius, Danaus Beli filius. Tatalus Iouis filius, Pelops Tatali filius, Atreus Pelopis filius, Temenus Aristomachi filius, Thyestes Pelopis, Agamẽnon Atrei, Aegisthus Thyestis, Orestes Agamemnonis, Clytus Temeni filius, Aletes Aegisthi, Tisamenus Orestis, Alexander Eurysthei.

CXXV. Odyssæa.

NLYXES cum ab Illo in patriam Ithacam rediret, tempestate ad Ciconas est delatus, quorum oppidum Ismarum expugnauit, prædam q̃ sociis distribuit. Inde ad Lotophagos homines minime malos, qui Lotõ ex foliis flore procreatum edebant, idq̃ ciuibus tantam suauitatem præstabat, ut qui gustabant, obliuionem caperent domireditionis. Ad eos socii duo missi ab Vlyssæ, cum gustarent herbas ab eis datas, ad naues oblitũ sunt reuerti, quos uinctos ipse reduxit. Inde ad Cyclopem Polyphemum, Neptuni filium, huic responsum erat ab augure Telemo Eurymi filio, ut cauaret, ne ab Vlyssæ excæcetur. Hic media fronte unum oculum habebat, & carnem humanam epulabatur. Qui postquam pecus in speluncam redegerat, molem saxeam ingentem ad ianuam opponebat. Qui Vlyssæm cum sociis inclusit, socios q̃ eius consumere cepit. Vlyssæ cum uideret eius immanitati atque feritati resistere se non posse, uino quod à Marathone acceperat, eum inebriauit, seq̃ Vtin uocari dixit. Itaq̃ cum oculũ eius trunco ardenti exuteret, ille clamore suo cæteros Cyclopas conuocauit, eis q̃ spelunca præclusa dixit, Vtis me excæcat. Illi credentes eum deridendi gratia dicere, neglexerunt. At Vlyssæ socios suos ad pecora alligauit, & ipse se ad arietem, & ita exierunt, ad Aeolum Hellenis filium, cui ab Ioue uentorum potestas fuit tradita, is Vlyssæm hospitio libere accepit, folles q̃ uentorum ei plenos muneri dedit, secum uero

d aurum

Marone